et insimiles fines oratio excurrit. S, et hoc sciendum quod sicut omoeoptoton in casuali
bus dictionibus. ita omoeoteleuthon in nubis eminet. ceu supradictum declarat exemplum.
hoc quoque non est nimis utendum. Poliptoton est multitudo casuum uarietate distincta. ut
litora litoribus contraria. fluctibus undas. impetor arma armis pugnent ipsique ne
potes. Varietas autem est hic. quia ponuntur multi accusatiui cum dativos. Litora autem
et contraria et undas et arma accusatiui sunt. Litoribus uero et fluctibus dativi. In uirgilio
hoc legitur in .iiii. eneidos. dixisse dido iam moritura. Yrmos est series orationis.
tenorem suum usque ad ultimum seruans. ut principio celum ac terras camposque liquen
tes. lucentemque globum lune titaniaque astra. spe intus alit et cetera. Est quidem
sensus istius sermonis. alit spe intus a principio celum ac terras. et alit campos li
quentes. id est maria. et alit lucentem globum lune titaniaque astra. aut solem dicit
aut stellas uel certe signa .xii. per quam sol currit. Virgilius scripsit anchisem hoc apud
inferos dixisse ad eneam. his autem usibus animas immortales et posse ad corpo
ra remeare. iuxta platonicam opinionem edocetur. Polisinthetonem multis
nexa coniunctionibus dictio. ut achamasque thoasque pelidesque neoptolemus
primusque michaon. Isti cum alius inclusi fuerunt in illo ligneo equo. de
quo uirgilius refert. Huius scematis .iii. formule sunt. aut enim contraria. aut similia.
aut equalia coniunguntur. Dialiton siue asinthethon est figura superiori
contraria. carens coniunctionibus. ut ite ferte citi flammas date tela impellite
remos. Verba didonis sunt apud uirgilium. postquam uidit eneam a se recessisse.
Ideo ista figura superiori est contraria. quia cum illa habundet coniunctionibus. ista
caret. hoc quoque figura quomodo tres formulas habet. Siquidem aut equalia aut simi
lia. aut contraria disiunguntur. Hanc quidam brachilogiam nominant.
Tropus est dictio translata a propria significatione ad non propriam similitudinem
ornatus necessitatisque causa. Tropus grece latine modus scilicet elocutionis in
terpretatur. Tropi autem quomodo scemata non solum apud metricos. sed et apud prosam scriben
tes communiter reperiuntur. et per hos tropos sapientes ab insipientibus separantur. Faci
unt enim in suis eloquiis has tropicas locutiones. et quasi amictibus obtegantur ser
mone uilescat si nudus atque apertus fuerit. et ut exacuat sensum legentis. et in u
no quoque tropo hec consideranda sunt. Primo dictio translata a propria significatio
ne. secundo similitudo non propria. tercio quoque ornatus siue necessitatis causa. siue
utrumque. Sunt qui dicunt propriam significationem in tropis esse considerandam. sed non